

33.

DISSE^TRAT^O IN AUGURALIS
CHYMICO-MEDICA
DE
**OLEIS DESTILLATIS
EMPYREVATICIS**

QVAM
CONSENSU GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ

PRAESIDE
JOH. FRID. CARTHEUSER,

MEDICINÆ DOCT. ET PROF. PUBL. ORD.
FACULTATIS h.t. DECANO

PRO GRADU DOCTORIS

RITE ATQVE LEGITIME IMPETRANDO

DIE XXVII. JUNII, M DCC XLIV.

H. L. Q. C.
PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI
SUBMITTET

JOH. CHRISTIANUS LINDNER,
Lignizenſ. Silesius.

FRANCOFURTI ad VIADRUM,
TYPIS MARTINI HUBNERI.

DISSESTITIO TANTILLI
CHINCO-MODEY
OLISDUS TANTILLAS
EMPIRANHICIS
COKAS OLTOS TANTILLAS MODEY
PRO CROA DECATORIS
JOH. KIRD. CAR. THEUSER,
LUD. ERNST. H. M. D. C. X.
LUD. ERNST. H. M. D. C. X.
JOH. CHRISTIANUS LINNELLER
TITUS. MARIA. TITUS.
TITUS. MARIA. TITUS.



DISSERTATIO INAUGURALIS CHYMICO-
MEDICA
DE
OLEIS DESTILLATIS EMPYREVMA-
TICIS.

§. I.

Olea destillata, in suo spectata ambitu, inter
principua educta atque producta, quibus
temporis progressu antiquissima & nobis
lissima ars spagirica suos beavit cultores,
facile principem locum non tantum vindicare sibi, ve-
rum etiam tueri possunt. Qvis chemicorum enim,
si à spiritibus quibusdam ac talibus volatilibus disces-
ferit, materiam, Vulcani ministerio parandam, vel fal-
tem è corporibus educendam ac segregandam, noxit,
qua olea, præsertim destillata ætherea, activitate su-

A 2

perare

perare, aut iisdem proprietatibus planè singularibus
æquiparari posset? Quæ cum ita sint, opera impen-
dendæ pretium utique futurum existimavi, si specia-
lius hac vice oleorum empyreumaticorum scrutinium
physico-chymico-medicum instituerem, & potiora,
indolem eorum specificam, elementa, modum destil-
landi, ac vires medicas concernentia, breviter ex-
ponerem. Priusquam tamen ad tractationem specia-
liorem descendam, nonnulla de generali oleorum na-
tura & differentia, postea dicendis fundamenti loco
substernenda, prænotare placet.

§. 2.

Olea, ceu fluida spissiuscula, inflammabilia, plus
minusve volatilia, cum aqua tamen per se nunquam
perfekte miscibilia, in genere in *Essentialia & Empy-
reumatica*, atque illa iterum in *Aetherea & Unguinoſa*, quo-
rum priora sola destillatione, posteriora expressione
aut coctione, e corporibus, laudato duplii oleo tur-
gidis, eliciuntur, vulgo distingui consueverunt.

§. 3.

Notabilis inter olea essentialia ætherea & ungu-
nosa sive unctuosa differentia animadvertisit, tum in-
tuitu indolis ac proprietatum, tum virium medicarum:
Ætherea enim odorem spargunt fragrantissimum, &
paullatim in aere libero, accedente cum primis calo-
re, in auras, prius tamen in tenerrima effluvia resolu-
ta, maxima ex parte auffugiunt, sapore præterea pol-
lent acri, aromatico, urente, igneo, & cuti teneriori,
aliis-

aliisque partibus corporis sensibilioribus adplicata, eas exfiscant, stringunt, arrodunt & cum dolore quasi adurunt; Ungvinosa contra linguæ saporem blandum atque subdulcem imprimunt, debilem spirant odorem, in vasis apertis satis diu, absque singulari partium, adeoque ponderis, jaetura, perdurant, & cutem ac solidam quævis in corpore humano, præsertim si ad huc existant recentiora, humectant, emolliunt, lubricant, partes erosas demulcent, dolores mitigant, & cum aqua, interveniente subtili substantia salina aut terreo-salina, in succum chylosum, lacteum, egregie nutrientem, coeunt.

§. 4.

Jure maximo olea essentialia, tum ætherea, tum unguinosa, suam hanc adpellationem merentur, cum pristinam indolem, post segregationem & eductionem è matrice sua, perfectè retineant, ac penitus simplicis essentiam secum afferant. In plantis enim, seminibus, fructibus, aliisque concretis aromaticis atque balsamicis confestim, oleo vel pressu, vel humida distillatione expulso, pristinus perit odor, perit specificus sapor, perit præcipua virtus, aut indicatæ, aliæque proprietates tantoperè debilitantur, ut sensibus vix amplius obviæ sint, quid? quod, matrix relicta merum cadaver exhibit, ac spongiaz arida, succo activo, qui vitam antea, qui essentiam largiebatur, vel prorsus, vel maxima tamen ex parte orbata, videtur simillima. Sapor, odor, virtus, ac quævis reliqua simplicis dona excellentiora in oleo separato hærent concentrata. Educat scepticus, ni labor displicet, de-

stillatione humida, omne, quod inest, oleum è cassia cinnamomea, ac postea videat, quid in cucurbita aut vesica cùprea relictum fuerit: Profecto, nihil amplius, nisi decoctum austeriorculum, & terrestria corticis stamina, forma externa cinnamomum quidem adhuc referentia, ast insipida prorsum, inodora, fatua, inertia inveniet: Exprimat pariter torcularis ope ex amygdalis dulcibus excorticatis, quidquid inhæret olei, ac gusto deinde exploret, num sapore dulci, num virtute nutritive amplius gaudeant amygdala; an insipida potius, inepta, atque specificis viribus plane spoliata, recrementa exhibeant.

§. 5.

Mémorata extendi nequeunt ad *olea empyrevmatica*, quippe quæ, ceu olea, originaliter quidem vel ætherea, vel unguinosa, adustione tamen, nunc graviori, nunc leviori, quoad formam & indolem, plus minusve mutata, sese ab essentialibus integris, puris, recentibus, odore, sapore, viribus, usu, colore ac consistentia, valde distingvunt. Odor enim eorum ordinario ingratus, quin in plerisque, præsertim ex animalium partibus sicca destillatione eductis, admodum foetidus, sapor nauseosus, acris, morsicans, urens, amaricans, consistentia spissior, imo in quibusdam planè picea, & natura valde calida inveniuntur.

§. 6.

Transformatio partium, quam ipsis ignis siccus violenta sua actione inducit, longe major observatur
in

in oleis empyrevmaticis, quæ ex gelatinis & pinguedinibus, quibus animantium solidæ ac fluidæ partes scatent, expulsa fuerunt, quam in oleis similibus, ex concretis oleosis, resinosis, atque bituminosis vegetabilis aut mineralis profapiæ prolicitis; unde etiam fit, ut priora fœtore, & sapore nauseoso posteriora longe superent; cujus differentia sequens ratio alleganda videtur: Olea, quæ bituminum mineralium mixtionem ingrediuntur, texturæ compactioris sunt, & ignis proinde sub destillatione tam prontè & tam altè in ea penetrare, adeoque minimas moleculas, leniori duntaxat superveniente adustione, tanopere, quam in aliis, transformare nequit: Olea essentialia ætherea & ungvinosa plantarum ipsis vegetabilium partibus jam seorsim sub olei forma laxius inhærent, & facile ea propter à reliquis principiis segregantur, ac cito post sequestrationem, præprimis mobiliora ætherea, in receptacula transeunt, quod itidem caussa est, cur leviorem pariter adustionem patientur, & ideo multum de pristino suo odore, sapore, pristinaque indeole retineant. Quod animalis vero originis olea empyrevmatica attinet, illa non tantum sale urinosa, quod fœtorem auget, valde turgida sunt, sed in mixtione etiam gelatinæ intimiori hærent, & longe difficilius evolvuntur ac separantur; unde haud mirandum est, quod majorem sustinere debeant adustionem, &, ob hanc æque, ac priorem caussam, odorem & saporem multò ingratiorem fortiantur.

§. 7.

Cum oleis empyrevmaticis non confundenda sunt *olea fætida*, in animalibus ac vegetabilibus motu putredino.

dinoso producta. Nam licet pleraque empyrevmatica, rectificatione nondum depurata, simul valde foetida existant, quin singula odorem plus minusve ingratis spirent, non omnia tamen inverso modo sunt empyrevmatica, quum absqve ulla etiam adustione, ac sola duntaxat putrefactione, in quibusvis triplicis, maxime autem animalis ac vegetabilis regni, concretis, quæ alias in motum redigi possunt putredinosum, oleum foetidum producatur.

§. 8.

Non simpliciter olea empyrevmatica ex subiectis, oleo æthereo aut ungvinoso essentiali, vel etiam resina, gummi-resina, mucilagine crassiori aut gelatina prægnantibus, educuntur, sed ignis ope sub destillatione sicca demum, quoad partem maximam, producuntur, & ignis proinde in hoc passu non solius obstetricis, sed simul etiam genitricis munere perfunditur. Olea enim, tum ætherea, tum ungvinosa essentialia, à natura genita, valdopere superficiaria partium adustione transformantur & immutantur, pingvedines animales eandem patiuntur metamorphosin, pristinæ temperiei atque dulcedini acredo, cum quadam amaritie ingrata, succedit, & illæ ipsæ ad olei fluiditatem perducuntur; quemadmodum hæc pariter in oleo aut pingvedine, quæ resinis, mucilaginibus & gelatinis inharent, atque præcipuum earum principum constituant, accidere consvererunt. Confestim v.g. & absqve destillatione, laudatam partium mutationem observare possumus in butyro recentissimo, quando ustulationi subjicitur: Ita enim paullatina ignis actione mini-

minimæ moleculæ oleosæ transformantur, ut saporis dulcedo, ac color albidus, vel ex albido-flavescens, cum indole temperatissima, successivè pereant, & butyrum liquefactum acre, amaricants, ex flavo-brunnum, & natura longe calidius, quinimo, si iustâ diutius protracta, aut ignis substratus fuerit intensior, amaruim, ex brunno-nigricans & valde acre atque igneum evadat.

§. 9.

Ad destillationem, igne *siccō*, eoque, pro laxiori vel compactiori subjectorum textura, nunc mihi fortiori, instituendam, modo *cucurbita humiliores*, modo *retortæ simplices*, vel etiam, & quidem frequentius, *loricate*, quibus carbones canden-tes immediate possint admoveri, adhibentur. Cucurbitæ humiliores eliguntur, quoties substantiæ liquidiores, ex animantium in primis censu, ut urina, sanguis, aliisque humores, qui, licet ante destillationem aliquantulum evaporando inspissentur, valde spumescere solent, destillationi submittendæ sunt; retortæ autem, præsertim terreæ loricataæ, aptiores existunt, quando oleum ex duris atque siccis corporibus, v. g. ambra, succino, carbonibus bituminosis, resinis, lignis raspatiis, radicibus, ossibus, unguis, dentibus, sanguine prorsus exsiccato & similibus eliciendum est. Fieri tamen solet, sive cucurbita, sive retorta recepta fuit, vel cum vel sine additamento. Subjecta paucissima, præprimis sicca, additamentis indigent, & sub quorundam duntaxat destillatione, quæ admoto igne adeo expanduntur, ut vel integra in receptaculum

B

culum transcendent, vel retortæ collum obstruant, arene, cinerum cibratorum, cornu cervi usq; grossuscule pulverisati &c. additione opus est.

§. 10.

Nunquam olea empyrevmatica ē subjectis, siccæ destillationi commissis, sola prodeunt, sed simil quoque phlegma, liquores plus minusve spirituosi, & salia siccæ volatile, quæ ex parte rostri retortæ, ex parte, & quidem maxima, receptaculi parietibus, sub micularum albicantium aut frondium forma, adhærescent, & nunc acidulæ, nunc urinosa, nunc mixta quasi indolis sunt, eliciuntur, ita tamen, ut nonnulla oleo citius, alia eodem tardius, transeant. E succino v. g. primò liquor aquo-acidulus, tenerrimis miculis oleofis remixtus, expellitur, succedit postea oleum subtilius & crassius, tandemque sal siccum acidulum in retortæ collum sublimatur, ex ebore contra, cornu cervi, & similibus primò phlegma, & sal volatile urinosum prodeunt, eademque deinceps oleum sequitur.

§. 11.

Ante rectificationem oleis empyrevmaticis, ex animalium partibus prolicitis, uti istud ex prædictis pridem colligere licuit, præter phlegma, multum salis urinosis, vegetabilibus autem atque mineralibus tum acidi, tum urinosis quidquam inhæret: Terreo-salinæ tamen & oleoso-fuliginosæ substantiæ crassiores, cum phlegmate intermixto, separari, & oleis hisce pelluciditas, limpiditas, major fluiditas, & gravior quoque odor ac sapor, cum indole temperatori, conciliari possunt,

* (ii) *

possunt, si reiteratae rectificationi submittantur; quemadmodum id inter alia decantatissimum *Oleum animale* DIPPELI, quod ex oleo sanguinis cervini empyrevmatico destillatione ex munda retorta vitrea, decies, imo bis decies reiterata, paratur, satis superque confirmat. Post quamcunque enim destillationem, citra ulla additamenta suscepit, notabilis substantia nigra terreo-unguinoſa portio in retortae fundo relinquitur, & oleum, a quisquiliis terreo-fuliginosis hac ratione liberatum, diuturniori ignis actione atque reiterato transitu adeo subtile redditur, ut tandem, spiritus fere ad instar, pellucidum, tenue, volatile, penetrantissimum, odore & sapore satis gratum, ac mira, ut cum BOERHAAVIO ^(a) loqvar, per omnes corporis vias penetrabilitatis, prodeat.

§. 12.

Rectificatio olei cujuscunque empyrevmatici, a substantiis, sub prima destillatione una expulsis, quantum fieri potuit, separati, vel cum additamentis fusciapi potest, vel etiam absque illis. Si additamenta placent, oleum in retorta aut cucurbita humiliori aliquoties super vitrum aut *cretam pulverisatam*, vel *cornu cervi ustum*, colcothar vitrioli, calcem vivam, cineres clavellatos, aut *vulgares elixiviatos*, sal tartari &c. quibus subinde, citioris depurationis cauſa, sufficiens aquæ simplicis puræ quantitas superfunditur, semel vel aliquoties abstrahitur: Laudata enim corpora partes fuliginoso-oleolas crassiores, seu coloris obscurioris, spissitudinis, & ingrati odoris atque saporis cauſam mate-

B 2

rialem

(a) Vid. Chem. T. II. p. m. 318.

*) 12 (*

rialem, absorbent, retinent, adeoque oleum dimitunt
multo purius atque gratius. Sin memoratorum vero
additio forsan displiceat, aut ob certum finem necessa-
rio omittenda sit, olea per se ex munda retorta vitrea,
arenæ balneo altius imponenda, evocantur. Monen-
dum tamen, destillationem in hoc passu saepius longè,
quam in casu priori, ubi additamenta impuritatum se-
questrationem adjuvant, repetendam esse.

§. 13.

Non adeo singulare discriminem intercedit rectifi-
cata olea empyreumatica mineralia, ut *oleum ambrae*,
succini, *litbantracum* &c., itemque vegetabilia & vege-
tabilia, nec minus animalia & animalia, v. g. *oleum*
empyreumaticum rarismarini, & *menthae* &c., ut et *oleum*
cornu cervi, *cranii humani*, *ungula alcis*, *sangvinis* &c.,
præterquam, quod aliud alio sui generis crassius, &
sapore atque odore ingratiiori præditum sit. Id pariter
adhuc semel adjiciendum erit, olea empyreumatica, ex
animalium partibus prolicita, fœtore atque sapore in-
grato longè superare olea hujus commatis, igne siccо
ac violentiori vegetabilibus nondum putridis, maximè
autem è mineralibus bituminosis expulsa, quippe qua-
de nativo suo sapore atque odore balsamico, quo pol-
lebant ante adiunctionem, tantum plerumque retinent,
ut concretum, è quo educta fuerunt, quodammodo,
immo subinde fatis clare, ex iis cognosci queat.

§. 14.

Ob fœtorem & saporem ingratissimum olea em-
pyreumatica impura per se, h. e., nulla cum aliis inter-
veni-

veniente miscela; rarius internè propinantur, debite
vero rectificata, & destillatione, semel vel bis su-
cepta, subtiliora redditæ & aliquantulum, tūm in-
tuitu saporis, & odoris, tūm etiam coloris, gratiōra,
locum sibi inter valde activa pharmaca commoventia,
calefacientia, resolventia, discutientia, sudorifera at-
que diuretica, in morbis frigidis, ex solidorum laxi-
tate & mucida humorum indole primariò resultantibus,
usurpanda, vindicant. „ Tres guttae spiritus fuliginis,
„HARTMANNUS scribit, a), exhibita agoniſanti
„eum mirabiliter refocillando exfuscent. Unde &
„hanc *dormitac*iam** imminentis mortis animadvertere li-
„cet, si sudor post exhibitum oleum fuliginis rectifi-
„catum copiosius emanarit, signum indubitatum sani-
„tatis est, & reconvalescētia, sin fecus mortis,. Hisce, vulgari scilicet modo, semel vel bis destillan-
do, rectificatis, respectu virtutis longè adhuc præfe-
renda sunt ea, quæ ex pingvibus atque gelatinosis ani-
malium partibus expulsa, ac methodo Dippeliana, i. e.
destillatione solitaria, decies, imo duodecies repetita,
ad spirituum propemodum subtilitatem, mobilitatem ac
penetrabilitatem perducta fuerunt, dum, prater, re-
censitas vires generales, etiam singularem virtutem
anodynam, hypnoticam, antispasmodicam & febri-
fugam exserunt, & ideo subinde, non sine fructu in-
signi, in febribus intermittentibus, rebelli cum primis
quartana, itemque in epilepsia cacoehymica, obstruci-
onibus viscerum chronicis, cachexia, & variis adfe-
tibus spasmodicis atque scabiosis, ad guttas 10. 20. 30.,
in vino aut alio adpropriato vehiculo exhiberi possunt.

§. 15.

*) In Praxi chymiatrica p. 19.

§. 15.

DIPPELIUS oleum suum animale, quod, ut supra pridem dictum, nihil aliud est, nisi oleum sanguinis cervini aut bovini empyreumaticum, per se ac citra ullum additamentum è retorta vitrea munda duodecies abstractum, non tantum in morbis memoratis, sed in compluribus quoque chronicis aliis, v. g. arthritide vaga, podagra, calculo, nephritis pituitosa, & frigidis partium tumoribus &c. miris planè laudibus extollit, atque harum atque præcedentium ægreditinum nonnullas fæse unica interdum dosi profligasse, aut notabiliter tamen mitigasse, gloriatur. (a) Me qui-

- a) Non possum, in *Traictatu*, cui Titulus *Vita animalis morbus & medicina* p. 78. inquit, quin hic in commodum proximi & in demonstrationem assertæ hypotheseos, communicem medicamentum, quo omnes omnino febres intermitentes, unica saltem administrata dosi, solutas esse sæpiissimè comperi, & quidem operatione satis mirabili; somno enim corripiebantur decumbentes, & protracta per horas nonnunquam quindecim dulci quiete, florescente & vivido faciei colore conspicua, frustrantes paroxysmum sanè refurgebant, de non recursu hoste securi. Eadem stupenda vi somnifera in ægrotis, cum sanis nullam omnino somnum inducat, sopivit convulsionum miserandarum tragœdiam, qua æger libero aëre quasi suspendebatur, mentis, & sensuum, etiam extra paroxysmum, impos, & creditos à cacodæmone agi: inducto enim somno triginta horarum incolumem stitit ægrum, loquela & intellectu simul redintegratis, & omnibus Medicis, qui operam

quidem haud latet, multos, ex medicorum non ignobilium censu, di&is HARTMANNI & DIPPELI pa-
rum vel nihil in hoc passu fidei adhibere, scio tamen
etiam, illos ipsos inter relationes planè falsas & hyper-
bolicas non satis distingvere, &, vires, quas HART-
MANNUS oleo fuliginis, & DIPPELIUS suo oleo ani-
mali tribuit, simpliciter negando, modestiæ limites
transcendere. Reiterata enim experientia me edo-
cuit, oleum DIPPELI & hujus commatis reliqua vi-
res, ipsis adscriptas, in morbis commemoratis, maximè
autem epilepsia & febre quartana, non absqve ægrotan-
tium solamine, perspè exseruisse. Cavendum saltem,
ne hac & multo minus præcedentia crassiora, in iis
ægritudinum speciebus intempestive atqve improvide
exhibeantur, quæ plethoraæ, bili fervidæ ac copiosæ,
alijsqve caussis calidis præcipuum suam originem de-
bent. Activa enim, quod dūdum monui, medicamina
sunt, quæ à rationalibus duntaxat medicis, genuinæ
morbi profligandi indolis, ac veræ ejus caussæ gnaris,
provida manu ægris porrígenda sunt.

§. 16.

locaverant, una cum præsentibus aliis quasi attonitis,
ac tum de veritate lapidis philosophici, & medicinæ
universalis ferè perswasis, licet vilissimum & abjectum
pharmacopoeis fuerit medicamentum ; patientibus ta-
men manibus elaboratum : cuius sapori grato & aro-
matico si corresponderet odoris grave penetrantis con-
ditio, esset equidem unum ex omnibus, quo maxima
morborum coagulantium pars uno quasi istu, cito, tuto,
& jucundè amputari posset &c.

§. 16.

Oleum animale Dippelii & eodem modo rectificata animalis originis reliqua, ob insignem partium subtilitatem ac mobilitatem, quæ ipsis sèpius reiterata destillatione inducuntur, corpus celerrimè penetrant, & primariam suam operationem ideo prompta resolutione, & moderata commotione absolvunt. Notatu quoque dignum est, illa ægris placidum plerumque conciliare somnum, qui, testibus DIPPTELIO & HOFFMANNO ^{a)}, sàpè per viginti, immo triginta, horas una quidem serie perdurat, nullum tamen torporem aut debilitatem postea infert, sed corpus potius alacrius ac mente hilariorem reddit. Aliud judicium ferendum est de rectificatis oleis empyrevmaticis vegetabilibus atque mineralibus, quorum priora, particulis fuliginosis sèpius repetita destillatione ablatis, ad indolem ætheream, posteriora ad naturalem, quâ antea in concreto bituminoso pollebant, formam atque naturam, præsertim, si destillatio rectificatoria semper super aqua pura ac simplici instituatur, quodammodo reducuntur, & ideo calidiora permanent: Excipienda duntaxat erunt ea, quæ ex plantis & plantarum partibus dulcibus, oleo unguinoso temperato turgidis, prolicita fuerunt, & pristinam temperiem nativam sub rectificatione maxima ex parte recuperant.

§. 17.

Vires calefacentes & sudoriferæ in oleis empyrevma-

^{a)} In Obs. Physico-thym. select. p. 53.

pyreumaticis animalis prosapiae valde crescunt, quando nondum rectificata in spiritu vini dephlegmatissimo, qui illa promptè recipit, solvuntur: Duæ enim vel tres olei cornu cervi, eboris, aut sanguinis guttulae integrum spiritus unciam non tantum fortis sapore, odore atque colore brunno, aut obscure rubro, sed tanta pariter virtute sudorifera imbuunt, ut in partes aquales divisa apud quatuor homines copiosum sudorem provocet. a) Hæ tincturæ, extemporanea quasi solutione parata, convenire vindentur cum *essentia alexipharmacæ GLAUDERI*, quam menstruo aqueo-salino urinosæ indolis è fuligine furnorum splendente extrahere docuit. b) Laudatum enim menstruum urinosum, cum aqua è cineribus clavellatis & sale ammoniaco paratum, oleum empumaticum in fuligine solvit, & extrahit, eodemque imbutum saturatè rubrum colorem induit. Tribuit ei Inventor vires amplissimas, diaphoreticas nimirum, diureticas, aperitivas, purificantes, præcipitantes, abstergentes, resolventes, itemque cordiales, bezoardicas, antifebries, nephriticæ, expectorantes, antipleuriticæ, anticatarrhales, nervinas &c. & miros proinde effectus ab ea in variis morbis exspectandos esse, adferere audet. Verum, & hæc cum grano salis accipienda erunt: Certissime enim credo, tincturam hanc & medicamenta similia in multis morbis, quibus specificè quasi atque egregiè mederi dicuntur, maxime autem in scorbuto & febribus malignis, nisi usus accedat providus

C

atque

^{a)} Conf. Hoffmann. l.c. p. 52.

^{b)} Vide ejusd. Method. balsamandi corpora nov. p. 192. sq.

atque circumspectus, plus detrimenti, quam auxilii,
illatura esse.

§. 18.

Externè, quod adhuc addendum est, olea empyrevmatica, nondum rectificata, subinde resolvendi, discutiendi, abstergendi, purificandi, immo eorum aliqua roborandi fine, vel per se, vel inter ungventa & linimenta alia recepta, duris ac frigidis partium tumoribus, membris paralyticis, debilitatis articulationibus, quin ipsis ulceribus impuris atque rebellibus, balsamicis cumprimis, v.g. balsamo Peruiano, de Copaiva &c. maritata, adplicantur; rationalem tamen medicum atque chirurgum, qui provide ea, pensitatis prius circumstantiis, adhibere didicit, exposcunt. Plura quidem de eorum natura, destillatione, differentia, & usu medico dicenda restarent, verum, cum tempus, ulteriori elaborationi impedendum, mihi hac vice plane deficiat, vela invitus contrahere cogor.

T A N T U M.



Navita dulce canit portu Celeusma reperto,
Quem fera turbati terruit ira maris.
Miles ovat viridi cinctus viētricia laurō
Tempora, dum fuso viētor ab hoste redit.
TU quoqve, cūi vultu favit fortuna benigno,
Exere lātitiaē signa decora tuæ.
Nempe tenes portum rerum **LINDNERE** tuarum,
Exornat lauro docta Minerva Caput.
Artis Apollineæ DOCTOR EM teque salutat;
Merceſ conveniens dotibus iſta Tuis.
Nam tua tabiferos tollent medicamina morbos,
Sanabis prōmtā corpora lāſa manu.
Inclyta ſic virtus meritō decoratur honore!
Cernitur Umbra velut corporis ire comes.
Ergo Tuum vigeat nomen memorabile, postquam
Accipiet **MEDICUM** Patria chara ſuum.

*Honoris & amoris teſtandi cauſa
adpoſuit*

JOANNES MOHAI,
*Transylvano-Hungarus, S.S. Th. & Med. Cultor,
nec non Dn. Doctorandi Opp. ordinarius.*

Quod jam consequeris premium Tua cura meretur,
Famaque virtutem prædicat ipsa Tuam.
Viribus invictis vivas, patiensque laborum,
Et morbos omnes arte Tua releges.
Hoc est quod cupio & quod supplice voce rogavi.
Erga meque Tuus stet modo semper amor.
Vive iterum dico felix & rura paterna
Et Matrem videoas. Sit Tibi fausta via.

JOH. SAM. KOESEBIER,
Oppon. Ordin.




01 A 6603

ULB Halle

003 092 291

3







DISSE^TRAT^O IN^AUGURALIS
CHYMICO-MEDICA

33.

DE
OLEIS DE STILLATIS
EMPYREVATICIS

QVAM
CONSENSU GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ
P R A E S I D E
JOH. FRID. CARTHEUSER,

MEDICINÆ DOCT. ET PROF. PUBL. ORD.
FACULTATIS h.t. DECANO

PRO GRADU DOCTORIS

RITE ATQVE LEGITIME IMPETRANDO

DIE XXVII. JUNII, M DCC XLIV.

H. L. Q. C.
PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI
SUBMITTET

JOH. CHRISTIANUS LINDNER,
Lignizenf. Silesius.

FRANCOFURTI ad VIADRUM,
TYPIS MARTINI HUBNERI.